



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opusculvm, De Vitis
Romanorvm Pontificvm**

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

LVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

censuerunt sacerdotes omnes propter reuerentiam sanctæ Sedis, quia contra canones hoc fuerat factum, & quia culpa eum respici-ebat, qui sibi successorem constituisset. Quapropter Bonifacius re-um se confessus est, quod in Diaconum Vigilium sua subscriptione chirographi ante confessionem B. Petri Apostoli fecisset, ipsumq; chirographum sub præsentia omnium sacerdotum & cleri, & sena-tus incendio consumpsit. Tunc venit relatio ab Afris Episcopis de constitutione, & ut consilio Domni Papæ omnia Carthaginensis Episcopus ficeret. Sepultus autem est in basilica B. Petri Aposto-li, sub die 17. mens. Octob. Et cessauit Episcopatus dies 15.

L VIII.

I OHANNES, q. & Martirius, natione Romanus, ex patre Proie-to, de Cælio monte, sedet annis 2. mensibus 4. diebus 6. Eodem tempore Iustinianus Augustus, vir religiosus summo amore Christianæ religionis misit fidem suam scriptam chirographo proprio ad sedem Apostolicam per Episcopos Epatium, & Demetrium. Sepultus est autem Ioannes Papa in basilica B. Petri Aposto-li, 6. Kalend. Iunias. Et cessauit Episcopatus dies 6.

L IX.

A GAPITVS, natione Romanus, ex patre Gordiano presby-tero ad sanctos Ioannem & Paulum, sedet mensib. 11. diebus 18. Hic libellos anathematis quos inuidiæ dolo extorserat, Bonifa-cius à presbyteris & Episcopis contra canones & contra Dioſcorū in medio Ecclesiæ congregatis omnibus incendio consumpsit, & totam Ecclesiam absoluit. Deniq; missus est à Theodato rege Go-thorum ad Dominum Iustinianum Augustum, qui indignabatur contra eundem regem, quod occidisset Reginam Amalsuentham commendatam sibi, filiam scilicet Theodorici regis, qui eum regē fecerat. Ingressus ergo Agapitus Constantinopolim 10. Kalend. Maii suscep-tus est cum gloria, & cœpit altercationem habere cum Iustiniano Augusto de religione. Responsumq; reddidit constan-tissime de Domino Iesu Christo, Deo & homine, quod in una per-sona Iesu Christi duæ sint naturæ. Qua alteratione Anthemium Constantinopolitanum Episcopum inuenit hæreticum. Dixit ita-que Imperator Agapito. Aut consenti nobis, aut in exilium depor-tari te faciam. Cui respondit. Ego quidem peccator ad Iustinianū Imperatorem Christianissimum venire desiderau, nunc autem Diocle-